DE SANGUINIS MISSIONE QUID VETERES MEDICI CENSUERINT

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE III. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS STERN

GLOGOVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

S. BADT, med. et chir. Dr.

L. LESSER, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

TUTORI

OPTIMO, DILECTISEIMO

E. W. FEILCHENFELD

BENE DE SE MERiTO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE ARTIS VENAE SECANDAE ORIGINE.

Tam grave atque organismo humano tam respondens remedium, ne summa aegrotantibus damna exsisterent, non diu ingenium fugere potuit humanum. Quid mirum igitur, inventionem illam venaesecandae, jam in remotissima antiquitatis tempora fabulantia incidere. Quis nescit, quod Plinius (1) enarrat, Aegyptios primos omnium artem venae secandae invenisse idque quidem ab Hippopotamo didicisse. Refert enim: „Hippopotamus assidua satietate obesus exit in littus, recentes arundinum caesuras speculatum atque ubi acutissimam videt stirpem, imprimens corpus, venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluvio sanguinis morbidum alias corpus exonerat et plagam limo rursus abducit.“ Nec non ea res a Polydoro Virgilio (2) perhibetur, qui hoc praemittit: „Ab Hippopotamo medici mittere sanguinem quod „phlebotomare“ vocant, didicere.“ Valde fabulosa haec narratio, attamen simile quid commemoratur a Joanne Bapt. Montano in medicina universali, equos Pannonicos et Tartaricos, quum nimis concitato cursu calefacti sint, vena aliqua morsu aperta

(1) Plinius lib. VIII. cap. 26 und lib. XXV. cap. 1.

(2) P. V. de rerum inventoribus lib. I. cap. 21. pag. 74.

sponte sanguinem deplere. Atqui verisimilius est, homines naturae studiosos didicisse observantes morbis acutis affectos sanguinis depletione sponte exorta multo melius se habere, feminas suppressione mensium in diversos incidere morbos, qui restitutione illorum statim evanescerent, intelligere, sanguinis missionem, qualis a natura ad sanandos morbos atque ad servandam sanitatem saepius institueretur, etiam arte persequendam esse.

Sed, utcumque res se habet, tantum constat, venaesectionem ante bellum trojanum (1250) nusquam esse factam. Nam Indos usum tam clysmatum quam venaesectionis ab Europaeis didicisse, satis constat (1). Immo vero illi etiam nostris temporibus hoc remedium inutile ac rejiciendum existimant, quod ardor sanguinis item ac coctio aquae sola quantitatis diminutione minime auferri possit (2).

Primum venaesectionis inventorem Podalirium fuisse, Aesculapii filium, qui bello trojano tam heros tam medicus excellebat (3), omnes consentiunt. Qui quum Troja versa in patriam rediens ad Cariae littora ejectus a pastore quodam Bybasso hospitaliter esset receptus, ad regem Damoethum ductus est, cujus filia Syrna de tecto lapsa male jacebat. Hic venis utriusque brachii sectis feliciter eam sanam reddidit: quod regem tanto gaudio affecit, ut filiam ei matrimonio jungeret eumque Caria peninsula donaret. Quae res per se

(1) J. F. K. Hecker, Geschichte der Heilkunde. Bd. I. §. 5. pag. 23.

(2) Cleyer, Med. Sin. pag. 72.

(3) Stephan Byzantinus: de urbibus voc. Syrna.

memorabilis eo magis ad totius antiquitatis medicinae cultum valebat, quod a Podalirii filio Hippocrates genus ducit, nec non a Caria Aesculapii sacra in totam Graeciam translata sunt. —

Inde septem paene saecula praeterlapsa sunt, quibus artis venae secandae nulla fit commemoratio, usque ad aetatem Hippocraticam, qua quaeque et philosophorum et medicorum schola ex diversa temporis sui anatomiae physiologiaeque cognitione diversa quidem sed certa de usu venaesectionis praecepta constituerunt.

Cap. II.

HIPPOCRATES.

Virum summo naturam investigandi ingenio studioque praeditum, qui omnes doctrinae nostrae partes tam dilucide illustravit, Hippocratem (460—377) fugere non poterat, venaesectionem in curandis morbis gravissimum esse remedium. Easdem jam statuebat de usu hujus remedii indicationes, quae etiam nostra aetate experientia duorum millium annorum probatae prorsus valent. In quovis morbo acuto venam secandam esse docet, si quodam cum impetu ingreditur, neque eo affectus debilis est constitutione ac viribus (1). In pleuritide inflammatoria, dolore usque ad claviculam penetrante vel gravitate quadam in brachio obvia, venam cubiti internam aperiri jubet, tantumque sanguinis emitti, donec aut magis rubescat, aut si antea rubebat, fuscior (πέλιον)

(1) Vict. acut. XXXV. 16. pag. 298.

effluat. Quod praeceptum per se minime probandum, quod conjectura nititur, sanguini inesse materiam impuram, in totam postea transiit antiquitatem (1). Sin vero dolor infra diaphragma sentiatur, venaesectionem nihil valere existimans, pleuritidem medicamentis purgantibus sanandam curavit. Sanguinis mittendi copiam non generatim praescripsit, sed ex statu quoque praesenti, et corporis constitutione et anni tempestate, aetate, coloreque faciei judicandam docuit; neque certos imperavit dies, semper vehementiae affectionum quam maximam habens rationem: ita quidem, ut, si quis acutissimus dolor inflammatorius incideret, usque ad animi deliquium sanguinem detrahere non dubitaret. Etiam plethora, quae sanguinis stasin in venis gignit, indicat venaesectionem. Immo vero, quum e plethora apoplexiam haud raro exoriri videret, sanguinis missionem prophylacticam in individuis sanis robustisque adhibebat, ut minans illud periculum amoveretur (2). Omnes omnino e sanguinis abundantia morbos venaesectione certissime auferri, ipsos eos, qui eam per se non indicarent, e. gr. epilepsiam (3). Neque vero hoc discrepat ab ipsius de inflammatione sententiis. Dixit enim, gigni inflammationem eo, ut sanguis in partem aliquam, quam antea non complevisset, effunderetur, (*δί αἵματος ἐπιῤῥοήν*) a qua ita affecta quum sanguis removeretur, sane facillime morbum auferri. Inde monuit, quam proxime loco affecto venam secaré, ut immediata sanguinis derivatione inflammatio dolorque inflammatorius au-

---

(1) Celsus II. 10.

(2) Aphor. I. 3. II. 22.

(3) Vict. acut. XXXVIII. p. 300.

ferretur. Quomodo factum est, ut in angina membranacea praemissa in brachio venaesectione, venas sublinguales aperiret (1). Nonnusquam vero secundum crudas illas Polybi sententias, quae tum de vasorum distributione anatomica valebant, de venis, quae in certis morbis secandae essent monstrosa praecepit (2). Ut exemplum afferam, in doloribus dorsi coxaeque venam in fossa poplitaea externam aut in ossibus tarsi, internam vero in inflammationibus regionis lumbalis scrotalisque aperiendam curavit. Hinc quoque sententia originem ducit, in hepatitide sectionem venae basilicae in dextro brachio, quam veteres inde ἀνάτομοι, venam hepaticam nominant, in splenitide autem ejusdem venae brachio sinistro, quam venam inde splenicam nominant, efficacissimam esse. Atqui errores illi pro manca illius temporis anatomiae corporis humani cognitione parvi aestimandi sunt: ac majore certe generi humano fuisset commodo, si posteri immutata ejus praecepta adoptassent, neque naturam, cujus observandae rationem nullam habebant, doctrinis haud raro monstrosis adaptaturi indicationes pro venaesectione admodum perversas statuissent.

Cap. III.

DOGMATICI.

Jam Hippocratis filii, Thessalus et Draco, generque Polybus, praecepta illa naturae tam accumodata haud omni ex parte sectabantur, nam speculandi libidini indulgentes observationes

---

(1) Vict. acut. XXXIX pag. 301.

(2) Aphor. VI. 36.

naturae philosophicis, quae tunc valebant principiis subigere studebant. Itaque factum est, ut etiam de venaesectione stultissimas saepe statuerent sententias, quum scientiam per se mancam vitiosamque de vasorum distributione prorsus negligerent. Dum Hippocrates loco qui esset affectus, quam proxime venam secandam esse praeceperat, dogmatici in morbis superiorum corporis partium phlebotomiam in inferioribus institutam, efficaciorem esse docebant, ac vice versa (1), quia hac ratione sanguis simul in remotiores partes derivaretur. Unde illa magni momenti doctrina de derivatione (παροχέτευσις) et de revulsione (ἀντίσπασις) exorta est, quae res postea imprimis saeculo sexto decimo acerrimas inter medicos provocavit controversias. — Unus vero ex iis, qui postea e chola Dogmaticorum excelluerunt, Diocles Karystius eodem loco et iisdem sub conditionibus phlebotomandum esse monuit, ac Hippocrates. In synanche modo noxia homines sanguinosos ex utroque curat brachio phlebotomandos (2), eos autem qui minus sanguinis haberent, solum scarificandos. Sic etiam in eo ab Hippocrate recedit, ut in epilepsia et paralysi (3) venam secandam suadeat, contra in phrenitide (4) juvenes fortes ac sanguinis abundantes vel consuetudine vinolentos phlebotomari jubeat: alios intra sextum diem alios vero etiam post

---

(1) De Humoribus I. p. 315. Galenus Method. med. 4. pag. 80. 81.

(2) Coelius Aurelianus acut. morb. Lib. III. angina cap. IV.

(3) Morb. Chron. lib. I. cap. 4 und 5.

(4) Coel. Aurel. acut. morb. Lib. I. phrenitis XII.

septimum et octavum. Item in libro, quem de passionibus scripsit, non solum, inquit, ex brachio est phreniticis sanguis detrahendus sed etiam de venis, quae sub lingua sunt. Etiam in acuto tormento, ileo scilicet, si dolor vehemens cogit, venaesectionem ex brachio remissionis tempore adhibet (1).

Omnino contrarias de usu venaesectionis principia statuebat Chrysippus Cnidius (740). Qui quum artem medicam Aegyptiorum et Pytbagoreorum restitueret, quorum therapia eo cenvenit, ut morbi quam levissimis remediis curandi essent, venaesectionem omnino fugiendam voluit. Quae sententia verisimile nititur Pythagorae principiis, sanguinem esse animatum, animam igitur, illius detractione detrimentum capere (2). Qua igitur hedematophobia ductus, in tussi cruenta nec non in inflammationibus venae secandae utilitatem ligatione membrorum compensare voluit: hanc enim, ne sanguis in thoracem afflueret, impedire (3).

Atqui ab ejus aequali, Praxagora Coo (335), qui ex schola Asclepiadarum ultimus, reperto inter venas et arterias, quas ipse quidem vasa aërophora nominavit (4), discrimine, de arte nostra bene est meritus, a Praxagora, inquam, quum principem morborum causam in corruptione corporis humorum sitam putaret, sanguis copiose detractus est. Solum in pleuritide post quintum diem venaesectionem evitandam esse cen-

---

(1) Lib. III. acut. morb. ileus cap. 17.

(2) Galen: de venaesectione adv. Erasistratum. Cap. II. pag. 393.

(3) — Cap. VII. pag. 420.

(4) Galen de diss. puls. Lib. IV. cap. 2. pag. 82. Tom. VIII.

sebat, imprimis in senibus, hominibus infirmis, infantibus, ne alii inciderent casus adversi (1). Eo vero audacius in haemorrhagia venaesectione utebatur.

Caput IV.

ERASISTRATAEI.

Erasistratus Ceius (304) Theophrasti et Chrysippi discipulus, cujus medendi principia, quum libri ejus ad nos non pervenerint, ex scriptis aliorum comperta habemus, scilicet et adversarii sui Galeni et Caelii Aureliani, quoad usum venaesectionis omnino Chrisippi doctrinam sectatus est. Qui quum omnis febris naturam in inflammationem reduceret, ejusque causam communem plethoram esse arbitraretur — ipse quidem primus omnium ita nominavit non sanguinis sed nutrimentorum superpletionem (τροφῆς πλῆθος) — huic indicationi ut satisfaceret, non sanguinis missionem, quam adhiberi omnes antiquitatis scholae volunt (2), sed ligationem membrorum, ciborum abstinentiam praescripsit. Aegrotos suos sanguine suffocari potius potuit videre, quam venaesectione instituta a doctrina sua paullulum recedere.

Quam haematophobiam doctrinae suae prorsus respondisse, haud difficile erit demonstrandum. Inflammationem exoriri docet, si plethora vel alia ex causa sanguinis aliquid e venis per synanastomoses in arterias sanguine vacuas, atque aereo modo spiritu (πνεῦμα) repletas transeat. Quo casu si venam ape-

(1) Coel. Aurel. acut. lib. II. cap. 29.

(1) Galen.: de venaesect. adv. Erasistratum Cap. V. pag. 397.

ruisset, sanguis quidem in arterias transductus, evacuari posset, simul vero cum eo spiritus ille amitteretur. Sin vero aperiret arteriam — id quod postea ab Aretaeo factum est — spiritus ex ea ipsa recedere atque e venis sanguinis eo plus affluere posset in arterias, quo minus eae aère vacuae penetranti sanguinis affluxui resisterent.

Itaque factum est, si adversario fides tribuenda est, ut in omnibus Erasistrati scriptis uno tantum loco venaesectionis, ejusque quidem noxiae in tussi cruento mentio facta sit, neque aliam attulit ipse haematophobiae suae rationem quam quod corpus necessaria ciborum abstinentia jam adeo esset debilitatum, ut sanguinis detractionem non sustineret. Erasistrati discipuli, qui eadem ratione agebant, imprimis Apoemanthes et Strato, multique alii huic praeceptoris disciplinae argumenta afferre conati erant. Alii enim sanguinis e vena emissi fluorem non semper esse sistendum, alii saepe arteriae laesionem non evitandam, alii denique non semper quantitatem sanguinis mittendi, tam accurate, quam necesse esset, definiendam credebant. Inde elucet, etiam adhibitam nunquam esse phlebotomiam ab Erasistrati sectatoribus. —

Caput V.

HEROPHILAEI.

Eadem, qua Erasistratus, aetate Alexandriae vixit Herophilus Chalcedonius, qui anatomiam corporis humani ad summum perduxit perfectionis vestigium. Qui quum arterias spiritu non solum aëreo sed etiam sanguine repletas crederet, venaesectionem haud fugiendam censebat; attamen rarius eam adhi-

bebat, quum ei medicamentis vegetabilibus idem effici videretur. Itaque etiam Chrysippi methodo, membra in haemoptysi ligandi imprimis femur et brachium usus est. Herophili sectatores. inter quos Demetrius Apomensis (270), haemorrhagicae doctrinae auctor, Apollonius, de Hippocratis interpretatione bene meritus, multique alii studio atque ingenio excellebant, principis sui sanguinis mittendi praecepta, ab Erasistrataeorum haud admodum variantia strenue servabant.

Caput VI.

EMPIRICI.

Etiam Empirici, quorum auctor Philinus Cous (286), Herophili discipulus, sanguinis missione nonnisi modice utebantur. Praeclarus ille Serapion Alexandrinus venaesectionem cautissime adhibebat. Itaque synanchicos primum clysteribus curavit evacuandos: quibus quum frustra essent adhibiti, adjecit phlebotomiam (1). Ipse Heraclides Tarentinus cui Empirici maximam gloriae suae partem debent, strenue quoad sanguinis detractionem placitis scholae suae consecutus est. In phrenitide jubet ventrem clystere deduci, tunc phlebotomiam adhiberi, sed praecipere negligit, quibus hominibus quibus sub conditionibus vena secanda sit: sin vero non totum corpus sit sanguine nimis gravatum, sed solae capitis partes videantur impletae, e vena frontis detractionem fieri (2). Qua ratione omnes curavit mor-

(1) Caelius Aurelianus acut. morb. Libr. III. angina cap. IV. pag. 223.

(2) Cael. Aurel. acut. morb. Libr. I. phrenit. cap. XVII.

bos acutos, atque ab eo pleuriticos secundo die clystere praemisso paullulum phlebotomatos esse, Caelius Aurelianus enarrat (1). Etiam synanchicos, inquit, nisi ex perfrictione fuerint affecti, qui sanguinis copia vexantur, clystere praepurgatos phlebotomamus nunc e brachio nunc e venis, quae sub lingua sunt (2). Sic etiam posterioris saeculi Empirici nec non Menedotus Nicomedensis, qui auctor erat epilogismi, numquam nisi nimis sanguinis impetus in partem aliquam exsisteret venam secandam esse censebant.

Caput VII.

ASCLEPIADEI.

Apud Romanos ars medica, quae ab omnibus populis superstitione imbutis semper despecta erat, sero demum recepta est, per Graecos qnidem, qui Roman se contulerant, ad artem ibi exercendam. Quorum primus, Archagatus quidam Peloponnesius (219) fidem favoremque, quo antea apud omnes gavisus est, mox perdidit, quum crudeli sua curandi methodo, urendo, sectione multa ac copiosa sanguinis detractione efficeret, ut carnificis cognomen ipsi indueretur.

Alter medicus, Asclepiades Prusensis, qui anno centesimo e Graecia Romam migravit, artem medicam tam ingeniose fausteque exercuit, ut multum ad artis nostrae gloriam cultumque apud Romanos contulerit. Doctrinam de phlebotomia magno cum ingenio tractavit. Summum enim phlebotomandi

---

(1) Cael. Aurelianus acut. morb. Lib. II pleur. cap. 24.

(2) Cael. Aurelianus acut. morb. Lib. III ang. cap. 4.

in morbis acutis indicium dolorem esse inflammatorium docet, quippe qui arcta majorum sanguinis corpusculorum statione oriatur. Neque vero solum hanc sanguinis stasin venaesectione tolli, sed etiam motum ac circulationem pneumatis inde elaborantis liberiorem fieri, atque in integrum restitui. Sin vero deficiente dolore stasis quoque, qua sanguis crassior fieret, abesset, phlebotomiam esse fugiendam, qua si fuerit adhibita ex initio, sanguis tenuis ac pallidus effluere videretur. Ad sanguinem, ne in pectus nimio cum impetu penetraret, coercendum phlebotomavit, imprimis in haemoptysi; immo vero ligationem membrorum prorsus fugiendam voluit. Synanchicos phlebotomandos probat ex fronte vel ex angulis oculorum vel e venis, quae sub lingua sunt vel e brachio (1). Epilepticos ante accessionem phlebotomare non dubitavit, quum paroxysmus inde caveretur nec non, si ante erat neglectum, etiam post accessionem phlebotomavit. „Neque vero, inquit, solum doloris ratio habenda est. Paralyticos, peripneumonicos, apoplecticos congrue phlebotomamus, etiamsi nullis afficiantur doloribus, ideo etiam in phrenitide venaesectio non fugienda est, quum intrante stadio morbi secundo mente alienata nesciant queri aegroti, quid doleat (2). Simul in pleuritide locum affectum, conditiones aegroti corporisque constitutionem et coeli temperiem respiciendam censebat, quum vidisset, pleuriticos Athenis atque Romae phlebotomia vexatos ac pejus receptos esse, in Pario vero ac Hellesponto resumptos ac rele-

(1) Cael. Aurel. Lib. III Cap. IV angina.

(2) Cael. Aurel. Lib. I Cap. XV phrenitis.

vatos (1). Adjecit etiam cucurbitarum usum cum scarificatione, ut sanguis rapide e parte aliqua tumente eliceretur. Omnino sanguinis missioni vim inesse derivatoriam censebat, id quod ex omnibus suis praeceptis elucet.

Discipuli ejus Asclepiadei, qui omnes fere de materia medica tractarunt, eandem principis sui de venaesectione rationem secuti sunt: sed quum ingenio atque naturali observandi facultate, qua Asclepiades eminet, carerent haud raro in adhibendo hoc gravi remedio errabant. Opinantes enim sanguinis missione aeque omnes, qui venis insint, humores evacuari, medicamentis vero purgantibus unam solum alteramque sanguinis partem noxiam educi, tam venaesectione quam remediis purgantibus false perverseque utebantur.

Ex Asclepiadeïs unus, Themison Laödicencis (50), aetate jam provectior, scholam methodicam condidit. Qui quum omnes morbos aut ad constrictionem ac siccitatem (στέγνον) aut ad relaxationem ac humiditatem (ῥοώδες) ductuum scilicet secretoriorum referret, hanc medendi rationem praecepit. Ubi relaxatio adstringendum: ubi constrictio, relaxandum. Relaxant autem remedia omnia, quae quid evacuant, imprimis venaesectio. Itaque eam, quamvis ipse vim ejus antiphlogisticam omnino negaret, in quoque morbo acuto adhibendam esse. Si quis, inquit, sanguine plurimum abundet nec materia ferri cessaverit, convenit etiam tertia die phlebotomare. Repetitae saepius ab

(1) Cael. Aurel. Lib. II Cap. XXII pleuritis.

(2) Cael. Aurel. morb. chron. 2 B. Haemorrhag. Cap. XIII. pag. 179.

eo venaesectionis exempla nobis complura relicta sunt (1). Venarum, quae sub lingua sunt, sectionem omnino rejecit: ea enim quum sanguinis semper plus afflueret quam efflueret augeri inflammationem (2). Localem sanguinis detractionem per cucurbitas atque hirudines, quam primus omnium inter remedia accepit, in synanche nec non in cephalaea praestare plus confirmat, quam universam sanguinis missionem (3). Caeterum ratio ejus in depugnanda inflammatione fere eadem est, quae nunc cognomine apparatus antiphlogistici in usu est.

Themisonis discipuli phlebotomarunt, quatenus vires admitterent. Itaque phreniticis stadio prodromorum venam secuerunt, si robusti erant aegroti, si strictura vehemens, nunquam vero usque ad animi defectum (4). In Epilepsia vero, ubi Themison ante accessionem sanguinem detraxerat, donec, is colorem mutaret, discipuli ejus in ipsa accessione phlebotomarunt, si quidem nulla corruptionis vel indigestionis suspicio (5). In paralysi Themison sanguinem e loco affecto detraxit, sectatores vero ex alio brachio dolenti lateri contrario. Omnino enim solebant methodici quam longissime a loco affecto venam secare, quum pars ipsa inflammatione tumens evacuationem non sustineret (6).

---

(1) Cael. Aurel. morb. chron. Lib. II cap. XIII.
(2) Cael. Aurel. morb. acut. Lib. III cap. IV.
(3) Cael. Aurel. morb. chron. Lib. I cap. I.
(4) Cael. Aurel. morb. acut. Lib. I cap. X.
(5) Cael. Aurel. morb. acut. Lib. I cap. IV.
(6) Cael. Aurel. morb. acut. Lib. III cap. IV.

Soranus Ephesius major natu, qui primus omnium systema ut ita dicam, methodicorum erudite atque omni ex parte illustravit, quoad usum venaesectionis Asclepiadi prorsus consentit. Sed in pleuritide venam secare nunquam dubitavit, id quod eo forsitan factum est, quod morborum constitutio Romae interea erat mutata.

Posterioris aetatis Methodicus, Coelius Aurelianus, medicorum Cicero, Latinorum Hippocrates, qui in libro suo nobis allato omnium et priorum et aequalium medicorum curandi methodos dijudicat, de phlebotomia hoc praecipit: „In phrenitide, si sola ac vehemens strictura aegros in phreniticam passionem perduxerit, phlebotomamus, si vires permittunt atque si passio cogit, intra diatriton; ultra nunquam, quum in ejusmodi corporis aegritudinibus vires admodum vexentur. Sanguinis mittendi copiam magnitudine praesertim passionis moderamur. Nunquam sanguis usque ad animi defectum (λειποθυμία) detrahatur, quod symptoma, ut Graeci vocant semper timendum est: nam quum in omnibus passionibus tum maxime in phrenitide lethale fieri potest praetacta nervositate" (1). Eadem est ejus curandi ratio in omnibus morbis acutis, omnino quidem Methodicorum principiis adaptata: atque nimis longus esse deberem, si singulos, ubi venaesectionem adhibebat, morbos exponerem.

Caput VIII.
PNEUMATICI

quorum princeps Athenaeus Attalius, phlebotomia eadem mo-

(1) Cael. Aurel. morb. acut. Lib. I cap. X S. 32.

deratione, iisdem indiciis utebantur. qua methodici; ac ne Agathinus quidem, qui doctrinae pneumaticae optimum quodque aliarum adnectens, auctor erat scholae eclecticae vel episyntheticae, curandi methodum a Pneumaticis adoptatam multo mutavit. Agathini discipuli Archigenes atque Herodotus paullulum modo in adhibenda phlebotomia ab antiquis praeceptis recesserunt. Ille enim pleuriticos phlebotomat in brachio dolenti lateri contrario neque sanguinem unquam usque ad animi deliquium mittit (1): quod quidem per vulgarem aetatis illius haematomaniam (2) satis superque accidisse verisimile est: hic etiam contra antiquum illud praeceptum, ut morbis acutis affecti phlebotomandi non sint nisi summa relaxatione, necessariam fieri posse intellexit venaesectionem, si sufflocatio, dolor acer inflammatorius, spasmus urgeret.

Nec non Aretaeus quidam Cappadocius, qui quidem eclecticis adnumeratur, sed quod ex egregiis suis graphicisque ut ita dicam morborum descriptionibus concludendum, maxima ex parte ipsius observationibus ingenuosis nisus esse videtur, de usu venaesectionis rectissime judicat. Relicta illa methodicorum methodo, qua saepius opportunum venaesectionis tempus praetermissum est, pleuriticis, perimneumonicis, phreniticis ipsa in morbi invasione venam secuit ac in dolenti quidem latere, nunquam tamen primum usque ad animi deliquium sed

(1) Aëtius Tetral. Lib. XI serm. 4. cap. 68.

(2) Celsus Lib. XI cap. 10. pag. 77. 15.

repetendam esse phlebotomiam docuit, donec vis morbi refracta esset: venaesectione enim inflammationi quasi nutrimentum auferri (1). Atqui in oculi inflammatione venaesectionem tum demum adhibendam esse docet, si ex aliis remediis scilicet balneis, fomentis, medicamentis purgatoriis nihil expedierit, si dolor magnus, si lacryma multa ac calida et chemosis juxta corneiformem et agnatam tunicam, si ipsa et tumida sit. Secanda autem est potius superna in cubito vena, humeralis appellata, faciendaque est major sectio, ut sanguis crassior evacuetur, veloxque animi deliquium succedat, quo dolor eximatur simulque inflammationis fervor exstinguatur (2). Quis vero est, quin hic Hippocratis doctrinam recognoscat, neque omnino Aretaei de sanguine mittendo doctrina magis illius est exculta, nisi eo ut ipse praemissa universa sanguinis detractione sanguisugis uteretur imprimis in Satyriasi et certius multo in hepatitide: id quod prorsus recentioribus artis nostrae praeceptis respondet.

Qua ratione aetatis illius medici venaesectione uterentur, egregie descripsit (3) A. Cornelius Celsus, qui nulli addictus scholae doctrinam medicam encyclopaedice tractavit: Nullus paene, inquit, est morbus, in quo sanguis non mittatur: in pueris hoc remedio utimur, in senibus, nec non in gravidis mulieribus: interest enim non quae aetas sit neque quid corpore intus geratur sed quales vires sint. Interest etiam inter valens corpus et obesum, inter tenue et infirmum. Tenuioribus

---

(1) Tetrabibl. II serm. quart. cap. 66.

(2) Tetrabibl. II cap. VIII.

(3) A. C. Celsius de medic. Lib. II cap. X.

magis sanguis plenioribus magis caro abundat. Facilius itaque illi detractionem ejusmodi sustinent, celeriusque ea, si nimia fit, pinguis aliquis affligitur. Ideoque vis corporis melius e venis quam ex ipsa specie aestimatur. Neque solum haec consideranda sunt, sed etiam morbi genus, quod sit: utrum superans an deficiens materia laeserit: corruptumque corpus sit an integrum. Nam si materia vel superest vel corrupta est, nullo modo melius succurritur. Ergo vehemens febris, ubi rubet corpus plenaeque venae tument, sanguinis detractionem requirit: item viscerum morbi, nervorumque resolutio et rigor et distentio: quidquid fauces difficultate spiritus strangulat: quidquid subito supprimit vocem, quisquis intollerabilis dolor est: quacunque de causa ruptum aliquid intus atque collisum est: item malus corporis habitus, omnesque morbi acuti, qui modo ut supra dixi non infirmitate sed onere nocent. — Fieri tamen potest, ut morbus quidem sanguinis detractionem desideret, corpus autem vix pati posse videatur: sed si nullum tamen appareat aliud auxilium periturusque sit, qui laborat, nisi temeraria aliqua via fuerit adjutus, in hoc statu boni medici est ostendere aegroto, quam nulla spes sit sine sanguinis detractione, faterique quantus in hac ipsa re metus sit et tum demum, si exigatur, sanguinem mittere. Satius enim est anceps auxilium experiri quam nullum. Tum in omnibus casibus repentinis exempli causa, si quis ex superiore parte lapsus contusus est, si ex aliquo subito casu sanguinem vomit, si strangulatio minatur, protinus ei demenda est materia, ne si subsederit corpus affligat. Itaque sanguinem mitti necesse primo die aut secundo sed nunquam utile post quartum diem est, cum jam spatio ipso materia et exhausta

est et corpus corrumpit, Si vehemens febris urget, in ipso paroxysmo sanguinem mittere, hominem jugulare est. Exspectanda ergo remissio est. Si non decrescit, sed crescere desiit, neque remissio speratur tum quoque quamvis pejor sola tamen occasio non omittenda est.“ Quoad locum, aegroto, inquit, si totius corporis causa est, vena aperienda est in brachio: si partis alicujus ex ipsa parte aut certe quam proxima: quia non ubique mitti potest, sed in temporibus, in brachiis, juxta talos. Quod nonnulli velint, quam longissime sanguinem inde, ubi laedit, esse mittendum, falsum esse, nam proximum locum primum exhauriri venaesectione. Inde etiam, quomodo scalpellis utendum sit, quomodo brachio superimposita compressa deliganda sit, recte disserit, cavendum imprimis esse, ne arteriae nervique venis semper fere adjacentes inciderentur.

De quantitate sanguinis mittendi eadem ac Hippocrates affert indicia. Sanguis e vena erumpens, si crassus ac niger est, vitiosus ideoque utiliter effunditur: detrahendus igitur donec rubere et pellucere coeperit. Sin vero sanguis ab initio rubet et pellucet, missio ejus non solum non prodest sed etiam nocet, protinusque supprimenda est. Quod quidem medicum imperitum, qui nesciat, e quali corpore sanguis mittendus sit, in errores haud leves inducere posse.

Cucurbitae inquit usus praecipuus est, ubi non in toto corpore sed in parte aliqua vitium est, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem satis est. Itaque ea opus est non solum in morbis chronicis sive corrupta materia sive spiritu male habente sed etiam in acutis quibusdam, ubi sanguinis e vena missionem indicatam vires non patiuntur. Atque auxilium

illud et minus vehemens neque unquam periculosum, etiamsi in cruditate adhibetur, etiamsi in medio febris impetu.

Tantum sufficiat, ut quam large Celsi aetate venaesectio in usum venerit appareat. Atque eo quidem Celsi maxime continetur laus, ut turbae opinionem rejiciens casus omnes, ubi hoc opus sit remedio diserte ac concise destinaverit.

Veterum medicina ingeniose jam tractata copioseque ab omni parte illustrata illo tempore ad summum elata est vestigium per Claudium Galenum Pergamicum. Qui quum omnis artis medicae doctrinas imprimis anatomiam physiologiamque per inventiones suas aeterne memorabiles omni ex parte instauraret, tamen curandi methodos atque medicamina, quae tum erant in usu, prorsus obtinuit. —

Summum ei venae secandae indicium plethora est et ad vires et ad spatium scilicet ad continentium humores vasorum capacitatem. Respicienda vero semper est plenitudinis tum quantitas tum qualitas, aetas, quae nec puerilis i. e. ad quatuordecim annorum aetatem, nec senilis esse debet, naturalis corporis habitus, temperies, regio. Ubi, inquit, exstantibus plenitudinis signis valentes facultates fuerint, venam incides, videlicet, si tensione quidem sit affectio, nullo discrimine, magisque etiam in phlegmonode.

Neque vero parvi existimat venaesectionem prophylacticam, qua morbi incipientes vel imminentes antevertantur. Ubi, inquit, magnus aliquis morbus timendus est sive ex universa corporis sanguinis abundantia sive humoribus ex corpore acervatim ad particulam quandam congregatis, quo debilitata ipsius actio corrumpitur, venam secamus. Itaque non solum iis, qui saepe jam sanguinem e pectore rejecissent, sed etiam iis, qui haemorrhoidum retentione aestate quotannis plethoricis morbis corripi assolerent, qui vertiginosis obnoxii essent passionibus, artriticis ineunte vere, etiamsi nullum in corpore signum exstiterit, sanguinem mitti oportet; similiter iis, qui prompte in morbum comitialem aut in apoplexiam inciderent. Omnino, inquit, sanguinem detrahes, si magnus sit morbus et aeger florenti sit aetate roburque adsit. —

Plenitudinem a suppressis mensibus exortam venaesectione vel scarificatione in malleolis ac poplitibus depugnavit (1). Validam sanguinis ex naribus eruptionem compescit secanda in cubito vena, si ex dextra nare brachii dextri, si ex altera, sinistri. Affecto liene sanguinem e sinistro brachio, pleuriticis e laborantis lateris brachio detrahendum esse, quippe quod clarissimam semper utilitatem aegris attulisse videret. Ubi inferiores corporis partes, coxa scilicet, uterus, vesica affecta sunt, venas illas, quae per poplites ac malleolos decurrunt, secat; ubi superiores pectoris partes laborant, venas humera-

---

(1) Galeni: de venaesectione adversus Erasistrataeos Romae degentes Cap. XI.

les secat, similiter etiam in ophthalmiis, quod quanta utilitate adhibeatur exemplo nobis allato demonstrat (1). —

Effectum enim phlebotomandi revulsorium imprimis esse censebat. „Itaque nisi simpliciter evacuare volumus, praestat sanguinis missionem in plures dies distribuere.“ Qua ratione menstruis oppressis cubiti venam secare noxium fugiendumque docuit, quia sanguis ad superiores corporis partes retraheretur; sed e cruribus factam venaesectionem menses non solum non retrahere sed etiam promovere (2).

Porro incipientem phlegmonen revulsu evacuari oportet, inveteratam vero ex ipsis, si fieri potest, affectis partibus, si non, saltem e vicinis (3).

De quantitate sanguinis mittendi nec non de tempore opportuno magna cum intelligentia disserit. Dicit enim, in sanguinis missione summum id bonum esse, evacuationem dum voles posse sistere ac rursus, quo videatur tempore fluere sinere, quoad usque recte se habere appareat. „Quapropter praestat, nisi quid urgeat, priori missione minus detrahere iterumque eam repetere, immo, si jubet, tertio. Ubi ergo multa evacuatione opus est, verum vires sunt imbecilliores, in his evacuationem partiri expedit. Ubi vero corpori ferventis (inflammati) sanguinis plenitudo inest, acutissimam accendens fe-

(1) L. c. Cap. XVII.

(2) L. c. Cap. XVIII.

(3) L. c. Cap. XIX.

brem, subito ac simul evacuare expedit; cumque inanire tentandum vel ad animi deliquium usque, virium modo inspecto robore.“ Inde etiam monet, valde utile esse pulsuum diminutionibus animum advertere, tangendo eos sanguine etiamnum fluente, ne videlicet nobis nec opinantibus pro animi deliquio mors occupet, quod sane tribus evenisse medicis enarrat (1). Pulsu enim alterascente aut in magnitudine aut in quavis inaequabilitate continuo esse quiescendum.

Certis diebus certisque horis in sanguinis missione haud esse attendendum (2). „Alii enim extremum sanguinis mittendi terminum definiunt diem quartum; alii sanguinis detractionem corruptione aliqua cibi in ventre concoquendi obvia verentur; alii etiam horis tantum matutinis tundendam esse venam existimant, quos ridicule agere nemo est, quin intelligat. Solum in virium robur laborantis intendas animum, quod ex pulsu optime consideratur. In omni diei ac noctis hora necessitate urgente venam secabis; ita quidem, ut scopum habeas in his, qui febriunt, exacerbationis declinationem: in his vero, qui aut propter lippitudinem aut aliud quid ejusmodi absque febri venaesectione indigent, magnitudinem doloris aut inflammationis: qua enim hora videris dolorem mitigari, venam secabis.“

---

(1) L. c. Cap. XII.

(2) Loc. cap. XX.

Satis erit, ut Galenum fere eadem ratione atque iisdem indiciis ac nos venaesectione usum esse appareat. Etiam quid posterioris aevi medici non solum inter Graecos et Romanos sed etiam inter Arabes de sanguinis missione censuerint, aequo modo ostendere mihi propositum erat; sed tempore spatioque urgente venaesectionis historiam alio loco continuabo.

VITA

Natus sum ego, Guilelmus Stern, die XXI mensis Maji anni hujus saeculi vigesimi quinti, Glogoviae, Silesiae urbe, patre Mauritio matre Friderica e gente Michaelis, quos jam diu morte ereptos semper lugebo. Fidem confiteor veterem. Primitiis literarum imbutus, gymnasium nostrum catholicum usque ad annum undevicesimum frequentavi; tum maturitatis testimonio instructus anno MDCCCXLIV inter cives academicos almae literarum universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis ab Ill. Hecker, apud quem tum fasces erant academici, receptus et sub auspiciis Beat. Wagner t. t. Decani ordinis medicorum gratiosi nomen professus sum. Per quinque annos his interfui lectionibus:

Ill. Joann. Mueller: de anatomia corporis humani speciali atque organorum sensuum. Idem atque Ill. Schlemm duces mihi fuerunt in cadaveribus rite dissecandis. Ill. C. H. Schulz: de botanice nec non de physiologia speciali; Ill. Hecker: de encyclopaedia et methodologia, nec non de historia medicinae; Ill. C. G. Mitscherlich: de chemia; Cel. Troschel: de arte fascias applicandi; Cel. Boehm: de

chirurgia speciali; idem dux mihi erat in exercitationibus akiurgicis nec non in diagnostice chirurgica. Ill. E. Mitscherlich: de materia medica; Ill. Casper: de medicina forensi; Exp. Schoeller de arte obstetricia.

Praeterea clinicis interfui et medicis et chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. et Cel. Busch, Juengken, Romberg, Langenbeck. Quibus omnibus praeceptoribus, optime de me meritis gratias quam maximas ago semperque habebo.

Caeterum non possum, quin hocce loco fautoribus benevolis, avunculo L. Michaelis, amitinis Schey nec non humanissimo C. Heymann gratias agam quam maximas. Imprimis autem viro maxime venerando H. Gossmann summis in me beneficiis obligatus sum. Quibus omnibus viris de me optime meritis gratias quam possum maximas habebo.

Jam a Calendis Aprilis h. a. officio militari satisfacio; munere enim medici militaris inferioris fungor duce medico cohortis humanissimo Dr. Werner.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut hac dissertatione una cum thesibus publice defensa summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Pulsus in morbis acutis signum certissimum.
2. Cum secretionum quantitate etiam qualitas mutatur.
3. Quo simplicior therapia, quam in debellando quovis morbo adhibemus, eo certiorem nobis morbi naturam esse, jure concludimus.
4. Remedia prophylactica in sanum corpus non adhibenda.